

II n
637

J. N. J. C. C.

DE

CAROLI MAGNI BARBA DISSERTIT,

& simul, ut

ORATIONES

de Carolo eodem & aliis aliquot Imperatoribus,

In Scholae Auditorio majori,

die XI. Septembr, audita nona matutina, memoriter
recitandas,

SCHOLAE INSPECTORES
GRAVISSIMI,

NOSTRA LAUDE AC TITULIS
MAJORES,

ALIIQUE VIRI DOCTRINA PRAE-
STANTES, QUIBUS PAGELLA HAEC
OFFERTUR,

audire benevole velint,

impense rogitat

M. Daniel Müllerus,

Rect. Schol. Chemn.

CHEMNICII,

Literis Stöffelianis, MDCCXXV.





* * *

IN prælegenda *meis* historia ad vitam & res gestas Imperatorum medii ævi haud ita pridem accessi, a Carolo M. exorsus, qui, si *Baronium* (a) audias, *dignum virtutis exemplar, religionis vero omnibus absolutum numeris simulacrum fuit, cui nec qui præcesserunt, nec qui postea successerunt Imperatores, penitus æquivaleant.* In qua operanda id maxime intendo, id ago, partim ut *mei* historiz, quæ recte *Ciceroni* nostro *testis temporum, lux veritatis, vitæ a memoria, magistra vite, nuncta vetustatis* addit (b), non profusus sine ignari; partim ut facultatem ex tempore latina scribendi, (quæ enim ego, vernacula usus, dicto, latinis verbis plerique excipiunt) consequantur. Sed quid obstat, quod minus etiam alium nobis usum ista suggerat prælectio, usum nempe Oratorium? Nimirum e vita singulorum Imperatorum dicendi argumentum decerpere, meisque sic & stylum & linguam exercendi occasionem suppeditare decrevi: cuius rei dum hoc tempore fieri initium, merito, quid commode ego præfari queam, sum sollicitus. Non autem absurdum aut a re præsentis alienum erit, si unus Imperatorum illorum, de quibus dicitur a *meis*, aliquam scribendi materiam mihi subministrat: quos si intentione mentis acie intueor, omnibus *Carolam* & corpore & virtute vere *Magnum*, qui, acuti iudicii viro, *Rolando Marefio*, iudice (c), *rerum gestarum gloria Alexandro aut Casare nequaquam inferior videtur*, esse anteferendum arbitror. Quid vero ex ingenti rerum, quæ de Casare hoc celeberrimo, obvia cogitanti fiunt, sylva seligere fas est? Num de loco ejus natali, de quo admodum inter se contendunt docti, *Antonio Pagi* (d) aliisque pro Gallia, pro Germania militantibus aliis (e), tractandum? Num præstat fortasse de eo disquirere, vivusne cognomen *Magni* tulerit & usurpaverit, an post fata demum acceperit Carolus: qua de re non virum tantummodo doctum, qui latere voluit sub literis H. de B. E. M. in *Cogitationibus* (f) de titulo *MAGNI Carolis Imperatoribus ex Francorum familia communi*, sed *Peirescium* etiam, seculi sui oraculum, in epistolis ad amicos scriptis, operose egisse (g) constat? Satiusne est de Caroli diademate afferre quædam, scrutarique, num istud, quod Norimbergæ inter Insignia Imperialia in hodiernum usque diem monstratur, Caroli vere fuerit (h)? Verum his aliisque de industria misis ealatum in una Caroli barba occupatum habebimus. Cui vero, inquis, in barba? Si, quod in proverbio est, barba non facit Philosophum, multo minus faciet Imperatorem. Tametsi vero id anibus largiar; tamen barbam, quam Imperatoribus nonnullis cognomen peculiare dedisse, Constantino nempe IV. *Pogonati*, ac Friderico I. incomparabili Cæsari (i), *Barbarosse*, novimus, in Carolo considerare, vitio viti potest nemini; præcipue cum controversia de eadem non heri aut nudius tertius inter viros doctos exorta, sed jam inde a plurimis annis fuerit agitata, *Heinricus Meibomius* in fronte Irminfulæ suæ (k) Carolum ut loricatorum, ita barba promissa gaudentem sistit. Verum sunt, qui Carolo mentis potentius purum adscribunt, vel certe a barba hispida & proluxa penitus abhorrent.

(a) Allegat verba Baronii Lehmannus in Chron. Spir. L. II. c. 51. p. 148. (b) Lib. II. de Orat. c. 9. (c) Epist. Philolog. Lib. I. epist. 6. p. 21. (d) dans la lettre à Monf. Nicaise, ancien Chanoine de la St. Chapelle de Dijon, cœu pater ex Tenzelii Coll. Menstr. A. 1698. p. 1009. (e) e. gr. Casp. Calværio in *alten Heydn. und Christl. Nieder-Sachsen*, p. 130. seq. & J. H. Schminkio in *Notis æginhartom de Vita & gestis Caroli M. p. 35. imo ipso Mabilonio*, Gallo, in *Supplem. Libr. de Re Diplom.* c. 9. (f) Interse sunt hæc Cogitationes *Adis Er.* Tom. VI. Suppl. p. 23. seqq. (g) de Peirescio restatur Petrus Gassendus, Lib. II. de Vita Peirescii p. 117. (h) Vindicat hoc ei Wagenfelsius in *Comment. de civitate Norimbergæ*, p. 242. seqq. Confer Joh. Petri de Ludewig *Norimbergam Insignium Imperium Tutelarem*, quæ Dissertatio est in *Oper. Miscell. Tom. II. p. 1. seqq.* (i) de cuius vita gestisque haud ita pridem accurate egit Scriptor Illustris, Henricus von Bünau. (k) Dicit hoc Tenzelius in *Colloqv. Menst. A. 1690.* p. 808. *Idem* ac in exemplari Operum Meibomii, quod mihi ad manus est, Tom. III. ab initio ad *Tractatus de Irminfula*, effigiem hanc Caroli non invenio.

rent. Sententiæ hujus patrocinium præter alios suscipiunt *Freherus* (1) & *Marcus Velferus*, doctorum Augustanorum Augustus, quorum hic ad illam ita scripserit legitur (m): *Ego plurimorum præjudicia non veritus in ea sum hæresi, Carolum barbam non pavisse, saltem prolixam illam, qua plerumque exornatur, ad eum nihil pertinere. Certe Eginhartus ejus non meminit: & est apud me monet a Carolina, vetus, nisi fallor, cujus ædypnon mitto, puro mento. Non nego, fieri potuisse, ut interdum, tonsoris negligentia, mentum & labra pili nonnihil inumbrarent; hæc enim specie Romæ in musivo opere ætatis illius conspicitur; sed prolixam & squalidam barbam abominor.* Hujus quoque sententiæ adspulator primus fuit *Papebrochius*, qui vultum Caroli in diplomate quodam Trevirensi conspectum ita (n) depingit: *Est autem vultus amabilis, majestatis plenus, ac propter rasam adcutem barbam propemodum juvenilis.* Et hoc, quod memoravi, diploma sigillumque annexum tantæ ei primo visum est auctoritatis, tantæque fidei, ut alia omnia Carolum barbatum sententia falsa ac adulterina reputaverit, his usûs verbis: *que omnia non esse vera authenticorum diplomatum sigilla, non tantum ex sylvescente barba notes; sed etiam ex longiori colli spatio &c.* Multum etiam firmamenti invenisse se putavit *Papebrochius* in silentio *Eginharti*, coævi vitæ Caroli Scriptoris, qui barbam ejus ne verbo quidem attigit, cum tamen totum fere corpus ejus Apelléo quasi colore signaverit, corpore, inquires (o), *erat amplo atque robusto, statura eminenti, que tamen justam non excederet; apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canitie pulchra, facie leta ac hilari: unde formæ autoritas ac dignitas tam stanti, quam sedenti plurima inerat: Quamvis cervix obesa & brevior videretur; tamen hæc ceterorum membrorum celabat equalitas.* Verum non est, cur de refellendis *Papebrochii* argumentis cogitet quisquam. Ipse enim, quamvis primo Parisiensis, Osnabrugense aliæque, in quibus Carolus barbatus oculis objicitur, rejecerit sigilla; postea tamen, meliora edoctus, Carolum, mutata sententia, modica barba usum fassus est. Et hæc etiam sine dubio verisimilior de Caroli barba est sententia, doctisque probatur. *Petavium* afferre tabellam antiquam, in qua Carolus non mentum habebat purum, sed brevi bifurcaque vestitum barba, docet *Tentzelius* (p). *Mabilionium*, diplomatum ac sigillorum antiquorum scrutatorem longe diligentissimum, in consilium si adhibemus, ita nos ille instruit (q): *Labra & genæ pilis decenter vestitæ cernuntur in sigillis, que hic exhibemus, non paucis, puta Caroli M., Ludovici Pii &c.* Ad hos accedit *Ihulemarius*, qui dum Caroli barbam ejusmodi vindicare studet (r), præter alia urget etiam hoc, Reges Francorum, antecessores Caroli, magnam jam inde à temporibus *Clodovei* in alenda barba posuisse curam, eamque ita sanctam habuisse, ut *Mercurius* cum *Clodoveo* pacem facturus, jurisjurandi loco barbam ejusdem percussisse satis habuerit. Inde colligit, Carolum, quem patrii moris servantissimum fuisse, testis est *Eginhartus*, hunc etiam majorum morem non fuisse aspernatum. Pluribus inquirere, quali usus sit barba Carolus, merito supersedeo, hos, qui plura desiderant, ad ea, quæ doctissimus *Heineccius* diligenter admodum congeffit (s), ablegans. Ego vero meum potius hic existimo, dubio nonnullorum, qui totam hanc de Caroli M. barba controversiam non majoris momenti esse arbitrantur, quam si de lana caprina contentiosius decertant alii, breviter occurrere. Et hic quidem juvat *Tentzelium* sæpius laudatum in medium iterum proferre, *ex Caroli M. barba magnos pendere montes*, affirmantem (t), eo quod, sintne diplomata, statuat,

mone-


(1) qui *Φιλοσόφημα*, seu peculiarem Dissertationem de Statura Caroli M. editit. (m) Repetimus verba c. *Tentzelii* Colloqv. Menstr. A. 1699. p. 809. (n) Dissert. de antiquis Diplom. Tom. II. Aprilis. (o) in vita Caroli, impressa cum Fastis Carolinis, p. 159. (p) in Colloqv. Menstr. A. 1691. p. 11. (q) I. B. H. de Re diplom. c. 16. p. 137. (r) in Notis & florum sparsionibus ad *Fredericum*, de Statura Caroli M. (s) in Syntagm. Histor. de Veteribus Germanorum Sigillis, eorum usu p. 81. seqq. (t) in Colloqv. Menstr. A. 1691. p. 83.

D
II
657
X 361 568
 noneta, aliaque hujus generis, quæ adscribuntur ei, aliqua an nulla fide digna, inde judicari queat. Et ipse etiam *Heineccius* non diffretur (u), si quis diducare talia recte velit, *in ea quaestione cardinem verti videri, num barbam aluerit Carolus?* Quorum duumvirorum ut multum apud me valet auctoritas: ita omnibus omnino diplomatibus, statuis ac monetis, si imberbem exhibeant Carolum, suum pretium suamque fidem demi, persuadere mihi nondum possum. Satisne, Carolum omni tempore barbam aluisse, probatum ac evictum est? Omittere hic non possum quæ *Chiffettius* scripsit (x): *Memini, me in MS. quodam legisse, Philippum Bonum, Ducem Burgundie, aliquandiu comam & barbam aluisse, posteaque valetudinis causa deposuisse, ut vetustiores imagines palam ostendunt.* Addit *Chiffettius*, idem Carolo M. potuisse contingere: id quod quamvis admitti posse neget *Heineccius*; venit tamen eidem in mentem (y), credere, *Carolum, inuente suo regno, priusquam Augustam dignitatem cum patritiatu conjungeret, barbam posuisse, postea vero argenda majestatis causa illam aluisse.* Sic aliis etiam Principibus nec glabrum temper, nec hirsutum placuisse mentum, relatum legimus. Extat sane in *Ammiano Marcellino* (z) effigies Juliani, quem Apostatam cognominare consuevimus, imberbis, extat moneta (aa), eundem sine omni barba conspicendum præbens: sed alia & effigies & moneta eundem, non dicam barbata, sed hirsuta præsentat in eodem *Marcellino*, cui alibi Julianus idem *hirsuta barba in acutum desinente vestitus fuisse* dicitur (bb). Et nonne satis luculentum testimonium de barba Juliani, quæ ultimis vite annis fuit delectatus, perhibet lepidus ejus *Μιτρονιδου?* In qua Satyra, quod obiter addo, seipsum in speciem reprehendendo, Antiochenfens, a quibus ob barbam derisus fuerat, scite perstringit. Præterea Georgium Ducem Saxonie imberbem in aliis monetis, in aliis fat Barbatum, quod cognomen ipsi deinceps inditum est, reperiri novimus, & mutationis etiam causam memorabilem ex *Tentzelio* (cc) cognoscimus. Quæ omnia perpendenti, fortasse etiam Caroli M. barbam non omnium fuisse temporum, haud improbabile videtur. Verum manum de barba Caroli, ne eandem, quæ contumelia olim ingens fuit reputata, vellere ei velle videamur. Alia restant, non tacenda, quid nempe *Nostri* de Carolo, & qui eum infecuti sunt, Imperatoribus, dicere in animum induxerint. Nempe:

- I. Christianus Sigismundus Stolzius, Franckenb. Misn. *Caroli M. pietatem fortitudinem & amorem in literas & literatos laudat.*
- II. Gottlob Fridericus Harbachius, Tillig. Schœnb. *Ludovicum Primum, ut Patris amantem, at à filiis non amatum carmine latino ficit.*
- III. Georgius Klugius, Chemnic. *Lotharium I. ut per ambitionem perditum carmine german. depingit.*
- IV. Joh. Heinricus Güntherus, Rochlic. Misn. *Ludovicum II. laudabile imperium administrantem, Orat. lat. considerat.*
- V. Christophorus Fritschius, Oederan. Misn. *Carolum Calvum imperium male acquisitum male administrantem, Orat. græca proponit.*
- VI. Christianus Gottlob Bültzius, Pago-Zwœnic. Misn. *Ludovicum III. seu Balbum ut terris tantum ostensum, Orat. lat. intuetur.*
- VII. Frider. Gotthelf Scheibnerus, Elschdorff. Misn. *de Carolo Crassa præmum felice, postea infelice, Orat. lat. agit.*
- VIII. Joh. Ludovicus Langguthius, Lips. *Arnolphum hostium magnorum domitorem a vermibus esse victum, Orat. lat. docet.*

Hos quæso, *Patroni, Fautores, Amici*, benevole audiat, neque vos dicentium numero deterreri patiamini. Dicent breviter, neque vos diutius justo detinebunt: diutissime vero hujus vestri favoris erunt memores.

(u) loc. cit. p. 81. (x) in Anastasi Childerici c. 1. p. 35. (y) loc. cit. p. 82. & 83. (z) Lib. XV. c. 8. (aa) Tab. V. (bb) Lib. XXV. c. 4. (cc) in Saxonia Numismatica Lincæ Albertine, P. I. p. 36. & 37.



1018



Π n
637

J. N. J. C. C.

DE

CAROLI MAGNI BARBA DISSERIT,

& simul, ut

ORATIONES

de Carolo eodem & aliis aliquot Imperatoribus,

In Scholae Auditorio majori,

die XI. Septembr. audita nona matutina, memoriter
recitandas,

SCHOLAE INSPECTORES
GRAVISSIMI,

NOSTRA LAUDE AC TITULIS
MAJORES,

ALIIQUE VIRI DOCTRINA PRAE-
STANTES, QUIBUS PAGELLA HAEC
OFFERTUR,

audire benevole velint,

impense rogitat

M. Daniel Müllerus,

Rect. Schol. Chemn.

